



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 9. Vngues quoque, & capillos resurgentibus esse reddendos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

deesset eorum, quæ ars continet; ita nec homo  
posset esse perfectus, nisi totum, quod in anima  
implicite continetur, exterius in corpore expli-  
cetur: nec etiam corpus animæ ad plenum  
proportionaliter responderet. Hæc S. Tho-  
mas, qui ibidem addit, intestina quædam  
membra sanctorum nec vacua fore, neque  
immunditias contentura, sed nobiles  
humoribus implenda. Quod in damnatis  
non fiet. Qui autem humores in resurgen- *Ibid. a. 3.*  
tibus sint extituri, ex eo pendet decidere,  
quinam spectent ad naturæ integritatem,  
de quibus idem Doctor, & schola Philoso-  
phorum.

§. IX.

*Vngues quoque, & capillos resurgentibus esse  
reddendos.*

Quin & capilli, & vngues reddentur  
ijs, qui in hac vita calui fuerunt, aut ma-  
trum curiosarum vitio, vel sæuitia ty-  
rannorum exungulati. Quia capilli quo-  
que & vngues dati sunt in ornamentum  
hominis. Cùm ergo corpora hominum, præ- *Ibid. a. 2.*  
cipuè electorum (ait idem Angelicus Do-  
ctor, quia non ita credibile est, damnan-  
dos cum ornamentis suis ad identitatem  
& veritatem non necessarijs resurrectu-  
ros)



ros) debeant resurgere cum omni ornatu; consequens est, eos etiam cum capillis & unguibus resurrecturos. Adde quòd capilli & ungues, licet ex abundantia cibi generentur, non solum ornatum habeant, in hac vita, sed etiam sua non careant utilitate; atque idcirco ad secundariam pertineant corporis perfectionem; sicut folia arborum, quibus fructus cooperiuntur, pertinent ad secundariam arborum perfectionem, & venustatem. Et quoniam temperamentum magis ad naturam hominis pertinet, quàm eadem mensura quantitatis, quæ saltem in infantibus non manebit, ex temperamento autem oritur color capillorum, conficitur tunc, capillos beatorum eodem colore fore conspicuos, quo hîc 34. anno aut fuerunt, aut futuri fuissent, si vita esset eò usque porrecta.

## §. X.

*Qua materia resurgentibus, & an costa sit reddenda Adamo?*

Quoniam autem infantes, pueros, & Pygmæos in statura perfecta, uti & Gigantes ea magnitudine, qua ferè Christus fuit, diximus resurrecturos; necesse est & Gigantibus aliquid de materia demi, & infantibus